

Alojzy Bukowski

De recentissima controversia soteriologica inter theologos - metropolitans russiae habita

Collectanea Theologica 19/1, 134-139

1938

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

NOTANDA.

De recentissima controversia soteriologica inter theologos — metropolitas russos habita.

Commentatione nostra c. t. „De opere redemptionis quid doceant moderni theologi russi“ typis iam impressa¹⁾, prodiit Parisiis liber „De redemptione“, quo metropolita Eleutherius Bogojawlenskij litteras suas ad metropolitam Antonium Chrapowickij de opusculis eius „Dogma redemptionis“ et „Prolixior christianus orthodoxus Catechismus“ datas publici iuris fecit²⁾. Cum hisce litteris fusius tractetur famosa theoria Antonii de opere redemptionis, de qua nos quoque egimus³⁾, ac praeterea prima vice propria Eleutherii sententia de redemptione exponatur, quae haud parum differt ab opinionibus, quas in commemorata commentatione examinavimus, haec recensione libri nuper editi complenda videtur.

In prooemio auctor animadvertit iam tempore pacis nonnullos theologos russos exstitisse, qui essentiam redemptionis non in morte sed in incarnatione Christi reponerent, vario quidem sensu. Nunc vero post magnum bellum in emigratione haud raro prodire dissertationes, tum in lingua russica quam aliis, in quibus Crux Christi vel omnino reticeatur, substituta in eius locum In-carnatione, vel eo modo declaretur, ut fundamentalis suo momento privetur. Quod proh dolor! etiam metropolita Antonius in opellis suis „Dogma redemptionis“ et „Prolixior christianus orthodoxus Catechismus“ fecerit, in quibus totum opus redemptionis ad virtutem heroicam („podwig“) Christi in lucta cum peccatis totius

¹⁾ Cfr. *Collectanea Theologica*, Lwów 1937, 101 ss.

²⁾ *Mitropolit Elewterij, Ob iskuplenij*, Paris 1937, 198 p. Prooemium datum est Parisiis die 15 Februarii 1937. Scriptae autem fuerunt 8 litterae, quae hoc fasciculo continentur, ut in libro annotatur, Caunae, ubi Eleutherius communiter residet, utens titulo metropolitae Lithuaniensis et Vilnensis, quia olim Vilnae residebat. Cum vero Sergio, metropolitae Moscoviensi oboedientiam praestasset, nominatus est ab eo „Administrator ecclesiarum russicarum Occidentalis Europae“.

³⁾ Cfr. *Collect. Theol.* 1937, 104 ss.

generis humani in horto Gethsemani manifestatam reducat. Periculum ne error hic diffunderetur, Eleutherius non tam ex argumentis ab Antonio allatis oriri putabat, quam ex celebri illius nomine atque auctoritate, qua tamquam theologus et metropolita fruebatur. Quare ut periculo huic occurreret et Antonium ab opinione sua averteret, Eleutherius cum illo diuturnum commercium litterarum habuit, quod nunc typis mandavit et publici iuris fecit, impressis quidem propriis litteris integris, ex responsis vero ab Antonio acceptis iis, quae ei maioris momenti videbantur⁴⁾.

Eleutherius utitur quidem urbana et reverendissima allocutione, sed simul magna dicendi libertate. Statim enim ab initio primae epistolae, postquam metropolitae Antonio pro libellis dono acceptis gratias egit, illi principalem errorem dogmaticum obicit, eo commissum quod „redemptionem restrinxit unice ad compassionem Christi cum peccatis humanis, in horto Gethsemani peractam, qua sibi omnes peccatrices animas univit, quae a compatiente Redemptore quasi aliquod principium sanctitatis, scilicet virtutem ad impugnanda et vincenda peccata hauriunt“. Quo negatur Christum peccata hominum in se suscepisse ac sibi appropriasse, nam „compatiens caritas, quam Antonius admittit, absolvitur vivida cognitione gravitatis nec non foeditatis peccatorum atque simultanea cum hominibus, qui peccatis onerantur compassione, ut facilius illa oppugnare ac vincere possint“⁵⁾.

Compassio quidem uti elementum psychologicum redemptionis admittenda est⁶⁾, animadvertit recte E., sed falsum est ea eaque sola constitui essentiam redemptionis ac falso Antonius infitiat Christum in se peccata mundi portasse et se pro illis in sacrificium divinae iustitiae obtulisse⁷⁾.

Ne aperte textibus Scripturae Sacrae de sacrificio Christi contradicat, Antonius et ipse concedit verbo tenus Christum sacrificium iustitiae divinae obtulisse, sed hoc intelligit sensu a doctrina revelata alieno. Declarans enim mentem suam contendit Christum solum propterea dici se in sacrificium iustitiae divinae obtulisse, quia compassione sua hominibus illud auxilium paravit, sine quo peccatores secundum constitutionem humanae naturae a Creatore factam non poterant a lapsu surgere⁸⁾. Christum autem sacrificio vitae suae culpam peccatorum nostrorum delevisse nosque in morte Redemptoris remissionem peccatorum accepisse Antonius constanter negat et consequenter secundum sua principia negare

4) Hoc commercium litterarum habitum fuit, prouti notatur, ab 11 Martii 1925 a. usque ad 8 Novembris 1928 a. Quare autem nunc demum, postquam metropolita Antonius mense Augusto 1936 a. e vivis decessit, in lucem editum sit, non indicatur.

5) *Ob iskuplenij* 1; 132.

6) L. c. 19.

7) L. c. 2.

8) L. c. 2, 17, 133 ss.

debet⁹⁾, cum nullam peccatoris culpam coram Deo agnoscat neque culpam a protoparente in posteros transire concedat¹⁰⁾, omnibus vero sacrificiis tum Veteris tum Novi Testamenti atque ipsius Redemptoris sacrificio non nisi hospitalis invitationis („ugošćenia“) rationem adscribat¹¹⁾, et Christum solum propterea mortem subisse doceat: a) ut naturam corporalem sanctificaret; b) ut suam compatiens caritatem erga homines clare manifestaret; c) ut prophetias adimpleret¹²⁾.

Praeterea Eleutherius exprobrat Antonio defectum distinctionis inter redemptionem obiective et subiective sumptam sive applicationem fructuum illius, suppositionem fere omnimodae earum identitatis¹³⁾, translationem redemptionis ex ordine obiectivo in ordinem subiectivum¹⁴⁾ atque reductionem totius operis redemptionis ad solam caritatem, dissoluta fere penitus iustitia¹⁵⁾.

Psychologicae theoriae Antonii suam propriam sententiam opponens Eleutherius praecipue obiectivum momentum redemptionis effert, inculcans Christum redemisse nos effusione sanguinis et morte sua, vel accuratius pretio sanguinis et vitae ac morte tamquam stipendiis peccatorum, quae infinitam culpam coram Deo constituebant¹⁶⁾. Simul autem rationem habet momenti psychologici et subiectivae appropriationis fructuum redemptionis. Veritates vero praecipuas „quae utpote in verbo divino et testimoniis Ecclesiae firmiter fundatae negari nequeunt“, hoc modo comprehendit: „Fastigium actuum redemptionis in terra peractorum erat resurrectio, quae impossibilis erat sine morte, mors autem tamquam „stipendia peccati“ non erat pro Christo possibilis nisi susceptis ab Eo peccatis mundi eorumque culpa coram Deo, susceptione vero peccatorum tamquam culpa coram Deo data est satisfactio iustitiae divinae, quae volebat salvare peccatores et manifestare divinam caritatem, quaerentem salutem eorum necnon peragentem viam ad hoc, nempe mortem Deihominis, quam hic libere et ex amore sui muneris suscepit atque adimplevit. Omnia procedunt a caritate divina eaque adimplentur in harmonico eius occursu cum divina iustitia atque mutuo earum osculo“¹⁷⁾.

Perfectionem et sufficientiam sacrificii Christi ad tollenda peccata mundi eorumque sequelas E. ex eo deducit, quod Christus est Filius Dei, animadvertendo, quod opus Redemptoris, tamquam

⁹⁾ L. c. 19, 124, 173.

¹⁰⁾ L. c. 36, 150.

¹¹⁾ L. c. 157 ss.

¹²⁾ L. c. 3.

¹³⁾ L. c. 18 s.; 162, 165.

¹⁴⁾ L. c. 134.

¹⁵⁾ L. c. 89.

¹⁶⁾ L. c. 62 s.

¹⁷⁾ L. c. 29.

actus caritatis, dici possit meritum („zasługa“) tam relate ad peccatores quam relate ad caritatem Dei, quae in perfecta harmonia est cum divina iustitia¹⁸⁾. Susceptione enim mortis tamquam stipendio peccatorum Redemptor peccata deleuit, exercitio autem virtutum divitem se reddidit sanctitate, ut eius inexhaustus fons pro hominibus fieret¹⁹⁾. Proinde doctrinam traditionis de satisfactione et merito Redemptoris ab Antonio iniuste reici atque uti ex iure Romano et ideis medii aevi transumptam traduci. Nam etiamsi termini satisfactio et meritum mutuati sint ex iure Romano, non agi in theologia de vocabulis qua talibus, sed utrum apta sint ad doctrinam orthodoxam de redemptione recte exprimendam²⁰⁾, quod sibi omnino certum esse et constare ex approbatione facta a patriarchis orientalibus Catechismi Petri Mogilae, in quo illi termini usurpantur²¹⁾.

Etsi E. assertiones suas fere omnes cum magna confidentia proponat, tamen in prooemio affirmat se litteris suis typis mandatis minime auctoritatem Ecclesiae vindicare sed eam tantum, quae sibi tamquam theologo et allatis argumentis conveniat, sibi que persuasum esse, litteras has non pauca nova continere, forte quaedam quoque audacter dicta vel etiam erronea aut manca et imperfecta²²⁾.

Atque reipsa Eleutherius omnes errores effugisse dici nequit. Essentiam quidem redemptionis recte exponit, sed in accidentalibus errat, v. g. Redemptori progressivam susceptionem peccatorum mundi adscribens, cum dicat: „Quo magis mors appropinquabat, eo magis dilatabatur et profundior reddebatur susceptio peccatorum generis humani... illa crescebat secundum spirituales profectum „Secundi Adami“²³⁾.

Item errat asserendo mortem Christi poenalem fuisse unicum ac propterea necessarium medium ad reparandum peccatum²⁴⁾ et Christum purissimum non potuisse mori non susceptis peccatis hominum, cui argumento in controversia cum Antonio multum insistit, semel atque iterum ad illud recurrens²⁵⁾.

Falsa sunt etiam, quia falsis suppositionibus nituntur, quae in transitu doctrinae catholicae obicit. Imprimis falso catholicis opinionem tribuit incumbendum esse bonis operibus et patientiam, cum satisfactio Christi in se insufficiens sit²⁶⁾, quod, prout iam Concilium Tridentinum declaravit, „nemo unquam catho-

¹⁸⁾ L. c. 15 s.

¹⁹⁾ L. c. 124.

²⁰⁾ L. c. 30.

²¹⁾ L. c. 89.

²²⁾ L. c. VIII.

²³⁾ L. c. 4.

²⁴⁾ L. c. 12.

²⁵⁾ L. c. 4, 14, 64 s.

²⁶⁾ L. c. 18.

licus sensit²⁷⁾. Iniuste quoque theologos latinos, ne unum quidem nominatim proferens, de extremo et crasso concepto iustitiae divinae arguit, dum ipse magis extremum tuetur, quia absolutam necessitatem adaequatae satisfactionis propugnat²⁸⁾.

In epistola sexta refert E. de studio suo investigandi, quomodo factum sit, ut metropolita Antonius, qui erat Ecclesiae russicae decus et gloria, in gravissimum errorem fidei incideret, idque inde evenisse putat, quod explicationem essentiae redemptionis non ex divina revelatione et doctrina Patrum sed ex observatione et consideratione realis vitae humanae petivisset. Imprimis autem apparere in eo maximum influxum scriptoris Dostojewskij, qui compassioni magnam vim efficiendi regenerationem moralem tribuit — cuius libris legendis, antequam ad studium theologiae accederet, operam dedit, indeque ideis praeconceptis imbutus rectam intelligentiam doctrinae revelatae de redemptione obiectiva sibi praeclusit²⁹⁾.

Cum Antonius pro responso misisset dissertationem sui olim auditoris monachi Tarasii Kurhanski c. t. „Immutatio antiquae theologiae russicae“³⁰⁾, Eleutherius rescripsit hanc opellam laudem ei in prooemio ab Antonio tributam non mereri, sed omni valore scientifico destitui³¹⁾, cum secundum praeconceptum consilium conscripta sit et assertionibus non fundatis atque etiam contradictionibus scateat. Praeter alios errores Tarasium penitus falsum conceptum essentiae dogmatis tradere et falso essentiam redemptionis explicare, cum contendat Christum nos redimisse tantum praebendo se exemplum ad imitandum, quomodo amor sui ipsius vincendus sit, minime vero morte sua et sacrificio iustitiae divinae in cruce oblato³²⁾. Quod vero Tarasius affirmat S. Paulum solum propterea Christum Summum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech vocasse, ut lectoribus persuaderet christianam religionem etiam celebritatem externam quod attinet cum cultu iudaico aequiparari posse, immo illum superare — „id neminem dicere posse, nisi qui libros sacros vel saltem epistolam ad Hebraeos numquam legerit vel mala fide christianismum calumniare voluerit“³³⁾. Tandem censurae illius tantopere ab Antonio commendatae dissertationis finem imponit E. declarans se non intelligere, quomodo illa a Consilio Academiae admitti et durante

²⁷⁾ S. XIV, cap. 8; *Denzinger-Bannwart, Enchiridion Symbolorum*¹⁵ Friburgi Br. 1922, n. 905.

²⁸⁾ L. c. 68; 12.

²⁹⁾ L. c. 165 s.

³⁰⁾ Cfr. *Collect. Theol.* 1937, 103 s.

³¹⁾ *Ob iskuplenij*, 178. Prolioxorem recensionem dissertationis Tarasii a Th. Spacil conscriptam cfr. *Orientalia Christiana* XIII (1928) nr. 19, 289 ss.

³²⁾ L. c. 181 s.

³³⁾ L. c. 191.

adhuc pace typis mandari potuerit³⁴⁾, quin statim a theologis orthodoxis refutata fuerit, et cur ille non orthodoxus libellus nunc iterum editus fuerit in spiritualem mortem pusillorum, qui quid in rebus dogmaticis verum et quid falsum sit discernere nesciunt³⁵⁾.

In brevissimo epilogo die 18 Aprilis dato 1929³⁶⁾, Eleutherius testatur metropolitam Antonium ad recensionem dissertationis Tarasii vel ad defendendam suam propriam sententiam postea iam nihil rescripsisse eorumque commercium litterarum exinde omnino abruptum esse; neque ullam mentionem facit retractationis, quam Antonium iam 1927 a. praestasse alibi notatum invenimus³⁷⁾.

Warszawa

Aloisius Bukowski S. J.

³⁴⁾ L. c. 193.

³⁵⁾ L. c. 195.

³⁶⁾ L. c. 196.

³⁷⁾ Cfr. *Coll. Theol.* 1937, 109; *Orientalia Christiana* 1931 n. 57, 256.